AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN Scholis Medicorum die Iouis XXIX. Decembris M. Ioanne Pietre. Doctore Medico Moderatore.

An Septenario Conceptio, partus, & vita?

VNIVERSI tam aspectabilis, quam inaspectabilis mundi sapientissimus Architectus, Infinitus quamuis, omnia tamen finito quodam & harmonico numero, Magnus licet sine mole sine pondere, omnia tamen certo pondere certaque mole; Mente licet immensus, omnia ordinatissima mensura & symmetria pulcherrima creauit. Mundus quinque primorum & simplicium corporum syntaxis & legitima connexio. Cœlum corpus simplex, mobile, omnia, efficiendi potestate. Ex quatuor Elementis ceu materia reliqua constituit. Elementa permiscet, ex eorum qualitatibus in mixtione alteratis, contemperatis ex surgit temperamentum mixti, actionum manifestarum principium; ex illorum verò formis vnitis, forma mixti, essentia corporis similaris procedit, aqua ocultæ actiones. Ne credas immortale caduco, cœleste terræ vniri; immixtus cœlestis vitalis calor & opifex elementaré regit contemperat, eoq; vtitur ad mixtorũ generationẽ, quẽ per omnia rerum semina diffusum quotidie de sua sphæra descendere non est necesse. In genetationis nostræ vtroq; principio semine & sanguine materno cœlesti ἀνάλογος partium fit opifex & generans, qui in perfecto animali natiuus est, conseruans, augens, minime corrumpens.

SEMEN prolificum in vterum πεδίῳ καὶ ἀγγεῖον κυηθεῖον iniectum ἔμψυχόν ἐστι more plantæ viuit, muliebri semine alitur, temperatur. Si post viri eiaculationem intra septem horarum spatium non effluxerit hæsisse in vitam pronunciatur. Calore vteri suscitatum statim animæ munia ex sequitur, sibi partes effingit, adeo vt septimo post conceptionem die spermaticarum partium prima appareant rudimenta: quæcumque corpus habere par est genitura septimo iam obtinet die, quasi tu dicas à primo septenario paruum perfici mundum, vt & prima hebdomas magnum compleuit mundum. Spermaticarum partiũ descriptis staminibus affluit sanguis maternus carnes parenchymatum ac primum hepar efformaturus, musculorum vacua spatia impleturus, omnem denique minutatim masculi dearticulationem quinquies septem: fœmellæ sexies septem absoluunt dies & licet fœtus aliquantũ temporis ζωόφυτον instar immotus in vtero quasi torpeat, cum tamen quindecies septem illuxere dies à graui quasi veterno euigilans masculus incipit motari. tunc matri venæ sectio qualibet καθάρσι tutior.

AN verò quis septenarium illum σεβάσμιον καὶ σεμνὸν vitæ parentem non prædicet? Cum septimo quodnatum est mense ad vitam sit natum: octauo quod nascitur, denascatur: & notabile, quod antiquitas iam prænotauit, fœtum, cum nouem mensium & decem dierum in dias luminis oras exit, tum rectius, pleniúsque viuere, quod in hoc mensium dierumque numero, numerus hebdomadum sit absolutissimus, quaternus nimirum denarius septenarij, & in quouis hebdomadum denario septuaginta dies. Fœtus copiosiore egens alimento & spiritu diutius concludi non patitur, calcitrando membranas (quas omnium primas vis seminis, plerumque fœminei, formatrix efformauerat) disrumpit. Mater cohibito spiritu, contractis intensisque epigastrij musculis: vterus partim humoris effusi acrimonia stimulatus, partim puelli pondere grauatus sua vi expultrice sarcinam istam excutere conatur, suúmque orificium, quod per totum gestationis tempus tam exquisite connixerat, nunc ita dehiscit, vt per id fœtus elabatur ossium pubis & ilium diductis, distractis singulari naturæ erga mulieres beneficio, quæ omni arte parturientium doloribus prouidens ossium pubis symphysim ad partus facilitatem laxari voluit.

FOETVS ἐπὶ κεφαλὴν ἀεὶ κατὰ φύσιν. vtrum victurus sit septimus dies indicat, si nimirum ad hunc diem rubea cutis flauescere incipiat: tunc iactat reliquias vmbilici: post bis septem incipit ad lumen visus eius moueri: post septies septem faciem conuertit ad singula: post septem menses dentes erumpunt: post bis septem sedet sine timore: post ter septem sonus eius in verba prorumpit: post quater septem incedit: post quinquies septem incipit lac nutricis horrescere: septimo anno dentes permutat & incipit ratione vti. Quid vero id est quod quarto annorum septenario sapientiæ dentes enascantur? sed paucis, scilicet quia paucis philosophandum. En caput ipsum huius microcosmi cœlum rectorque princeps, in quo tanquam sacra Palladis arce septem sapientiæ conspiciuntur fenestræ, septeno abluitur & purgatur fluxu: septem intra hominem nigra membra, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo: septem alia cùm venis & meatibus quæ adiacent singulis ad cibum & spiritum accipiendum reddendumque; guttur, stomachus, aluus, vesica, & tria præcipua intestina, quæsi spiritus haustu vltra horas septem, cibóque priuentur, vltra totidem dies vita non durat.

BIS septem annis pubertatis lucent indicia: puellis vbera turgent: totum corpus titillatur: noua lanugine inspergantur genitalia: fœcundis erumpunt menstrua (etiam si aliquando sine eorum profluuio possint concipere) quæ septimo septenario supprimuntur. Mares τραγίζειν καὶ ἀφροδιτίζειν hircire & vocem asperiorem edere incipiunt: post ter septenos annos genas vestit iuuenta: idem annus finem in longum crescendi facit: quarta verò annorum hebdomas impleta in latum quoque crescere iam prohibere creditur: quinta, *Veianius armis herculis ad postem fixis latet abditus agro. Est quâdam prodire tenus, si non datur vltra.* A sexto annorum septenario virium diminutio incipit, quæ detrimentum suum aperta deiectione non prodit: septimo septenario iusta datur missio belli: Nonus Climactericus est & periculosissimus: decimus, qui septuagesimum annum complet, meta creditur viuendi *septuaginta anni dies sunt hominis, vltra labor & dolor.* Omnibus his septenarij miraculis fidem faciunt κρίσιμοι dies principes, radicales; septenarius, decimus quartus, vigesimus, tam apertè, perfectè & sine periculo in morbis acutis δυνάμει tamen καὶ ἀξίᾳ septimus tanquam rex clementissimus multos ab interitu vindicans τελείως, πιστῶς, σαφῶς, προδήλως καὶ ἀκινδύνως iudicat. ὁ δὲ αἰὼν τῷ αἰθέρι πουθέν ἑπτάμερος & rerum prope omnium nodus, & vitæ humanæ potissimum vinculum est septenarius.

Ergo Septenario Conceptio, partus & vita.

Proponebat Parisijs FRANCISCVS BOVIONNIER Abbauillæus R. S. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Geruais.
M. Franciscus Guenault.
M. Ioannes Merlet.
M. Gabriel Harduynus de S. Iacques.
M. Petrus Pijart.
M. Simon Pietre.